

1. 16, 51.

Y  
a  
2990

X 2230613

# SCHEDIASMA HISTORICO-LITERARIUM

quō  
**Curam Amplissimi Senatus**  
Dresdenis

circa

*Ecclesias & Scholas Urbis patronatus*

a  
Reformatione B. Lutheri usqve ad Jubilæum Ecclesiæ  
Evangelicæ alterum variis accessionibus auctas & ornatas  
deprædicat,  
Eaque occasione

Nobilissimo atque celeberrimo Reipublicæ  
Dresdenis Consuli  
DOMINO  
**CHRISTOPHORO HENRICO**  
**VOGLERO**

Matrueli honoratissimo, Patrono ætatem  
colendo

**NATALEM LXVII.**


ea, quapar est pietate & animi submissione  
gratulatur

**Christianus Sigismundus Becker.**

---

ANNO M DCC XXIV.

V I R O  
*Nobilissimo, Amplissimo atque Consul-*  
*tissimo*  
DOMINO  
CHRISTOPHORO HENRICO  
VOGLERO,  
Inclytæ Reipublicæ Dresdensis  
Consuli Gravissimo  
&  
de publico bene meritissimo,  
Patrono ea, qua par est, observantia colendo  
ac devenerando  
*perpetuam felicitatem!*





## Magnifice Domine Consul,

**P**ythagoricis Dii non solum in hortis,  
sed & in cerebro crescebant, refere-  
bant enim in ordinem eorum Nu-  
meros, eosque divino mactabant ho-  
nore, qua desuperstitione tritus apud  
simplicium versus extat.

Physic. L. III.

Κέκλυδι κύδιμ' ἀριθμὲ, πάτερ μανάρων, πάτερ ἀνθρῶν.

Audi clare Numere, Pater Deorum, pater Virorum!

Quin eò procedebant dementiæ, ut Numeros o-  
mnium rerum principia crediderint. Forte ex eo-  
rum lacunis aquam hauserunt Cabbalistæ & fratres  
Rosæ crucis, qui mirandam plane virtutem & ef-  
fica-

)\*( 2

vid. Jo. Meursii  
Denarius Py-  
thag. p. 10.

ficaciam in Numeris latere Jovem lapidem jura-  
runt: neque ab hac opinione veteres quidam Me-  
dicastri alieni fuerunt, apud quos Numerorum vir-  
tus utramque fecit paginam. Rationem ab iis si  
exigas, cur herba Pentaphylon venenis resistet, &  
si Diis placet, dæmones pellat? ad quinarium tan-  
quam ad sacram anchoram se recipiunt; pariter,  
siqueras, cur masculus septimus absque foemella in-  
termedia natus, vim scrophulas solo taetu curandi  
habeat, & cur filia quæquaæ septima miro modo  
partum adjuvare possit? nil nisi formalem ratio-  
nem, quæ in numero est, attendi posse crepant.

Agripp. de Phi.  
Iosoph. occult.  
Op. T. I. L. II.  
c. 3. p. 124.  
S ap. XI. 22.

Absint & ad Garamantas abeant quotquot nume-  
ros superstitione colunt. Concedamus tamen, ne-  
cessè est, Numen optimum maximum omnia men-  
sura, numero & pondere disposuisse. Deprehe-  
ndimus utique in numeris aliquid, non quidem di-  
vini, astmirandi, quin imo arcani. Septenarius in-  
primis quovis tempore perfectus & sacer a Patri-  
bus Ecclesiæ veteris, & Theologis recentioris ævi  
fuit reputatus. Septenarii naturam, nescio an satis

Libr. de Opi-  
fic. Mundi p. 20  
quis laudare queat, inquit Philo, cum ea sit præ-  
stantior, quam ut ulla facundia possit exprimi. Hie-  
ronymus leptimum locum secretiorem vocat, & ve-  
nerabilis Beda septem olim Diaconor non sine

septenarii numeri mysterio fuisse fatetur. Joannes van der Wayen, Theologus Franequeranus in sermone, quem anno MDCXCV, de Numero Septenario solenniter recitavit, his utitur verbis: Nimis crebra septenarii mentio fit in sacro Codice, quam ut a Theologo negligatur; quin imo sedulo ex pendi non dignus judicetur. Recte quidem, ut opinor. Edifferat quis, cur Numerus hic a viris divinis sacra Deo facturis, fuerit adhibitus? Amicis Jobi sacrificaturis Deus ipse septenarium commendabat: idem Davidi & senioribus Israelis Arcam Hierosolymano deferentibus placebat; septem quoque juvencos, totidemque agnos & arietes Ezechias Deo obtulit: septem etiam altaria Bileam exstruebat, quod Aben-Esra ideo evenisse conjicit, quia numerus septenarius perfectionem denotat. Testatus vero putat, Bileamum propter septem planetas, a quibus vitam humanam regi Ethnici arbitrabantur, totidem adhibuisse; alii aliter sentiunt. Edoceat nos quis, cur septimum praeclipe diem Deus sabbatum esse iusterit! cur septimus annus libertatis vernarum servorumque fuerit? cur septem & non plures vel pauciores dies explorationi leprosi fuerint destinati? cur septies muros Jericho circum ire debuerint Jacobi posteri? cur septies Nae-

Job. XLII. 18.

1. Paral. XV. 26.

2. Par. XXIX. 21.

Num. XXIII. 1.

vid. Mæbii Hi-

stor. Bileamii p.

98. sq.

Exod. XX. 10.

Exod. XXI. 2.

Levit. XIV. 8.

Jos. VI. 4. 16.

<sup>2. Reg. V. 10. 14.</sup>  
<sup>In Observ. sacr.</sup>  
<sup>p. 228. lq.</sup>  
<sup>p. 651.</sup>

mus lavandus fuerit in Jordanis undis? Hæc & alia,  
quæ copiose concessit Wolffburg, Judæos eo ade-  
gerunt, ut numerum septenarium magnæ Religio-  
nis mysteriique fuisse crederent, pro ut recte anno-  
tavit ad Augustin. L. XI. de Civit. Dei c. 31. Ludo-  
vicus Vives. Jure Consultis & Themidis cultori-  
bus, quos inter Nomen tuum laudesque perpetuo  
manebunt, Consul spectatissime, septenarius nullo  
non tempore notabilis fuit. Septem partes juris  
Canonici, sponsalia ante annum ætatis septimum mi-  
nus valida, septem testes ad testamentum requisiti,  
septem generationes, quæ in jure consanguinitatis  
attenduntur, Iculentum de asserto nostro perhi-  
bent testimonium. Nec qui Æsculapio sacra fa-  
ciunt, artis scilicet salutaris periti septenarii virtutes  
ignorant. Huc refer, quod partum septimestrem  
pro vitali habeant, atque diei septimo inter criticos  
primum locum assignent; post septem dies semen  
in utero coagulari, & septimo quovis anno insignem  
mutationem corpus nostrum ex periri scribant.

Astronomorum circulos si turbare fas esset nu-  
merum hunc illis admodum solennem ullo absque  
labore deprehendere possemus. Videat rerum ha-  
rum curiosus authores, qui in septenario vel depræ-  
dicant

dicando, vel exponendo toti\* fuerunt. Ecclesiæ certe septenarius faustus admodum fuit atque salutaris. Deo enim sic dirigente anno MDXVII. alter iste Elias, ultimusque Germaniae Propheta, B. nimirum Lutherus Herculeos labores aggressus, ovile Christi a fineto traditionum humanarum liberavit, arcam Domini a palea Pontificiarum abominationum purgavit, & initium tamdiu exoptatae.\*\* Reformationis quam felicissime fecit. Quod insigne omniaque præconia longissime transcendens beneficium grata hilarique mente Ecclesia purior annis abhinc septemo cum recoleret, opportune, ut opinor, mihi in mentem veniebat Cura Amplissimi atque Nobilissimi Senatus Dresdensis circa Ecclesiæ & Scholas Urbis hujus splendidissime patronatus, quam tum quidem peculiari schediasmate exponere, totique Ordini Senatorio consecrare erat

con-

\* De Septenario egerunt Langerus in Theologia in Numeris, Jo. Coccejus in Jobum p. 562. Dorscheus in septenario admirandorum Iesu Christi. Chr. Kircherus in Arithmologia de occultis numerorum mysteriis. Jean d'Espagne in Tr. Wunder Gottes in der Übereinstimmung der Zeit p. 587. Hocher in der Mathematischen Seelen-Küst. p. 77. sq. Joh. Frid. Riederer in Tr. Untersuchung der Zahl Sieben 1719. 8.

\*\* Quam anxie Reformatio ante Lutherum ex petita, & quoties fuerit tentata vide in Magnifici Nostrri Lœscheri, quem Deus quam diutissime servetatur que tueatur Actis Reformat. T. I. Cap. VI. VII. IIIX. p. 120. sq. conf. Excell. Cypriani Schufz-Schrift vor die Resformation cap. i. qua extat in Ejusdem Überzeugende Belehrungen von Ursprung und Wachsthum des Papstthums. p. 709. sq.

constitutum. Verum quum obstacula tunc mihi,  
quæ probe nosti, Vir Amplissime, sese objecerint in-  
opinata, fecerintque quo tevidentes istas meditatio-  
nes ad timidum fere typis excusas in lucem proferre  
integras minus potuerim, jam tempestive propositi  
tena recordari subit, te haud ita pridem septima  
vice Consulatum summa non minus cum laude quam  
Reipublicæ applausu & emolumento gestum, felici-  
bus avibus deposituisse, annumque ætatis LXVI. hoc  
ipso Henrici Die, qui simul Tibi Onomasticus, sal-  
vum, ac quæ Dei ineffabilis gratia est, incolumeni  
exegisse, septimumque auspicari. Permitte igitur,  
Patruelis ad cineres devenerande, ut inter gratulan-  
tium strepitus Clientumque pias voces mea quoque  
Tibi probetur lætitia, quæ in eo nunc consistit, ut Ti-  
bi, incluti quippe Senatus Dresdensis septies Capiti  
hoc, quicquid est schediasmatis, sacrum esse jubeam,  
Deumque Tui causa publice venerer, velit Te Re-  
publicæ, familiæ Clientibus & hos inter mihi meisque

ad Nestoris annos servare. Quod dum facere ag-  
gredior exclamare Tibique apprecari liceat: Omnia  
septem! In sacris ideo Israelitæ toties usi sunt nume-  
ro septenario, qui ad primam mundi creationem,  
septimo die absolutam, respexerunt, eumque loco  
Symboli, quo Deum Conditorem professi, abhibue-  
runt.

vid. Journal li-

teraire 1713. 8.

Sept. & Octob.

p. 1-4

vid. D. Abicht

Diss. de lapsu

mutorum Hie-

roch. §. 4. p. 5.

runt. Deus, qui Te creavit, Patrone ætatem co-lende , atque ante annos LXVII. salvum ex utero in lucem bono ac fausto omnię protraxit, qui ab ineunte adolescentia omnibus Tuis conatibus ad-fuit, in posterum etiam gratia ac benedictione sua Tibi adspiret, largoqve bonorum & spiritualium & corporalium cumulo Te beet!

Sanctimoniam Septenarii mirifice extulit Jo. in Comment.  
Markius, eamqve ex septem Ecclesiis ibi memora- ad Cap. I. Apo-  
tis probare satagit. Concede, Vir Consultissime,  
atqve Nobilissime, ut Tibi septima vice Reipubli- calypseos.  
cae fasces deponenti acclamare possim: Sis mane-  
asque consecratus Deo! vigeas, floreas, perennes,  
Tuaque felicitas septenarium exsuperet!

Septenarium Augustinus Spiritui S. tribuit, &  
quidem ob septenaria ejusdem charismata. Eccle-  
sia Dei multis abhinc seculis cecinit: Tu septifor-  
mis munere, du bist mit Gaben siebenfalt,\*. Adsit  
Tibi, Consul spectatissime, quolibet tempore Spi-  
ritus S. gratia, quiescat in Te haud secus ac in se- A&. VI, 3.  
ptem istis Senioribus Spiritus sapientiae, consilii ac  
fortitudinis, faciatque ut cuncta quæ quotidie susci-  
pis

\* Phrasis hæc minime exclusive accipienda est, non enim septuplicia tan-  
tum, sed longe plura Spiritus S. dona sunt, hinc idem potius ac multi  
formis, quia septenarius in sacra pagina numerus sacer & excellentiae  
est. vid. B. Grapium de donis sanctificant. & administrantibus §. xxii.  
B. Pfeifferi Magnalia Christi L. III. P. III. p. 179. sq.

pis negotia Patriæ & Reipublicæ proficua sint ac  
salutaria! Erigat Te tot oneribus pene succum-  
bentem, ducat Te turbulenta hac tempestate in-  
terdum dubium, coronet Te sœpiuscule certantem!

vid. Bibliotheca  
ca Bremens.  
Claf. I. p. 933. sq.

Tigurinæ Ecclesiæ Antistiti, Petro Zellero se-  
ptenarius mirifice fatalis fuit; septem enim annos  
quodlibet officium, cui præfuit, gessit, & demum  
in ipso nono peregrinationis suæ terrestris septena-  
rio, anno scilicet ætatis sexagesimo tertio fatis con-  
cessit. Septima vice dum Reipublicæ clavum te-  
nuisti; Consul venerande, & sic paululum respi-  
ras viresque recolligis omnium rerum præpotens  
Deus Tibi omnia ex voto fluere concedat!

Numerus hic Ebraïs est fuitque semper indefi-  
nitus, inde septem interdum idem ac plures, E. g.  
Matth. XII. 45. septem spiritus significant plurimi-  
mos alios, & I. Samuel. II. 5. mater septem filio-  
rum, Hieronymo interprete, mater plurimorum fi-  
liorum est. Eodem sensu David septies in die De-  
um laudasse justusque toties cadere dicitur. Flo-  
reas, vivas, valeas Patrone, in infinitum! i. e. ad ex-  
tremam usque canitiem!

Tibi semper militet æther!

vid. den ge-  
schäftigen A-  
genten T. III. nis Academiæ Giessensis ante annos XXVII cūsum  
p. 70. sq.

Numisma in memoriam sæcularem inaugura-  
trum

tri-

triangulum & quadrangulum addictis verbis siste-  
bat : Sacer Septenarius. Sis, Vir Nobilissime, ma-  
neasque terque quaterque beatus ! En tibi pectus  
meum pro tot beneficiis jam olim in meas Musas  
collatis, gratum, cui hæc verba inscripta sunt.

Tu sis perpetuo, sis terque quaterque beatus !

Septem petitiones nos docuit Salvator benigni-  
simus.

Largiatur Tibi clementissimus Sospitator quæcum-  
que ab eo petieris, neque ultimam petitionem, quæ  
liberationem a quovis malo efflagitat, Tibi deneget !

Serena proinde fronte accipias, Vir Magnifice,  
quæcumque de Cura Amplissimi Senatus Dresden-  
sis in Ecclesiæ & Scholas Urbis patronatas in char-  
tam olim conjeci, eaque patrocinio Tuo haud pe-  
nitus indigna reputes precor. Addi debuisset, si  
præsentem Ecclesiæ Dresdensis statum sistere ani-  
mus fuerit, novum Augmentum, Curam pruden-  
tissimi Senatus uberrime declarans, constitutio  
seilicet novi Diaconi & Catechetae, qui singulis  
diebus Dom. & festivalibus horis pomeridianis in  
templo B. Virginis Catechismi Fundamenta pro  
cōcione exponit, eaque finita palmarias quæstio-  
nes cum junioribus repetit, cui functioni ea, qua  
par est, dexteritate hactenus præfuit Fautor noster

)\*( )\*( 2

&

& Amicus Vir admodum reverendus, M. Mauritius  
Carolus Christianus Woog, cui publice ut privatim  
cum suis omnium bonorum ubertatem animitus ap-  
preciamur. Sed hæc & alia inter omnes constant.  
Cæterum adsit Numen supremum Universo & præ  
Nobilissimo Vestro Collegio, cui me ipsum debere  
ingenue fateor. Curas Cellegii hujus incluti Deus  
clementissimus sublevet, easque in Ecclesiæ incre-  
mentum, Reipublicæ Ornamentum, familiarum de-  
nique honoratisimarum solatium ex meo aliorum-  
que votis provehat!

Dabam in pago Hohenweitschen prope Leiss-  
nicum die 3. July 1724. quippe

*Nobilissimi Tui Nominis,*

cultor perpetuus

Christianus Sigismundus  
Becker, P.

S. I.



§. I.



Uod nobis hoc prorsus singulari & aureis literis in fastis notando anno, divina providentia exlibuit beneficium, illud, prout decet, xſi mandi, celebrandi, extollendi ejusmodi quidem jus habemus, contra quod omnes Adversatorum Disputationes, contentiones, clamores, conatus, Deo procurante, sunt vani, inanes, irriti, verba vana contra Dei praſidium.

Equidem triflis, quem varia luctuosa nobis minantur phænomena, rerum nostrarum ſtatus, probos & sagaces viros voce potius gemente jubet exclamare: *O DEus, in que nos reservasti tempora.* Eſt tamen quod hilari, tripudiante, exultante potius sermonē ad ſummi Nummis laudem nobis invicem gratulemur, & bono omnię acclamemus: Optime DEus! quanta Tua eſt bonitas, quanta Sapientia, quanta Prudentia! in quam læta, in quam singularia, in quam praelara, in quam diuina nos reservasti tempora! Divina voco tempora hos ipſos dies, quoſ nos vivendo attigimus. Euge! attigimus tempora, que tot piæ animæ anxiis exoptaverunt desideriis, quibus etiam hoc ipſo anno fuerunt ſatis propinquæ, aſt injuria mortis dicam an beneficentia? his iniferis terræ ſedibus ereptæ, & ad æterna jubila translati. Nobis obtigit tale bonum quale

A

quale tot millibus nunquam contigit. Recolimus pio in DEum affectu memoriam divini illius beneficii, quod ante duo jā secula nostra terra exhibuit benignissimum Numen, dum Viri divinis quidem ornati dotibus, sed omnium ludibrio expositi opera nobis, imo non nobis solum, verum etiam aliis reddidit sacra doctrinæ puritatem suavissimam. Ingratissimi essemus omnium mortalium, nisi singulares, imo immortales pro singulari isthoc beneficio DEO O. Max. agerenuas gratias. Accusatura nos sane esset fera posteritas; imo accusatura nos esset pia & prudens antiquitas, qua beneficia divina non ultimo habuit loco. Sequimur vestigia Majorum nostrorum, qui inenarrabilia & nunquam satis prædicanda bona ad Religionis pura reſtitutionem pertinentia, seculo transacto, grata memoria ac ritu solenni celebraverunt. Sequimur exemplum Electoris inter cœlites beatissimi & inter homines immortalis

Uhsens Kit: JOHANNIS GEORGII I. atque hoc exemplum nobis est pro lege. Chen. Hist. Tres annos seculares, moderante DEO, hic pietate & virtute præstantissimus Princeps attigit, & non attigit solum, sed etiam pie & ipse celebavit, & per totam hanc regionem celebrari jussit. Celebravit annal. Mülleri Annal. num supra sesqui millesimum centesimum decimum septimum in memorialm ceptæ per Lutherum doctrinarum repurgationis. Celebravit annal. Sax. fol. 338. Id. in Annal. annum MDCXXX. ad gratias summo Numini referendas pro excellens. Sax. fol. 399. tissimo beneficio, quo doctrinam Evangelicam publicâ Confessione Augustæ declarandam curavit. Celebravit denique annum MDCLV. & quidem diem XXV. Septembris, quo ante Seculum liberum Religionis Exercitium Evangelicis in Augustanis Comitiis post Passaviensem sanctionem anno MDLII. factam, confirmatum fuerat. Sequimur Exemplum Electoris non minori laude dignissimi, JOH. GEORGII II. qui annum MDCLXXVI. in memoriam Formulae Concordie ad tollendas dissensiones confignatæ celebravit. Horum vestigia premissus. Ecquis audeat nostrum institutum reprehendere, nisi in beatissimos Principes

cipes injutius esse velit? In memoriam his diebus revocamus merito, quicquid per hæc duo secula divina nobis præstítit virtus. Atquæ hūc tendit mentis nostræ cogitatio: Operæ enim pretium esse ducimus, & ipsa rei dignitas jure suo postulat, ut quid Dresdenis imprimis Ecclesia habeat, quod celebret, accuratius consideremus, quotquot huic celebrimæ civitati benè cupimus. Expendamus, obsecro, præclarum Dei beneficium in eam per hæc duo secula collatum, dum non solum verbum suum per eam radios plenissimos spargere jussit, sed etiam Magistratum bujus urbis Amplissimum excitavit, ut promptissime operam suam ad amplificanda Ecclesiæ commoda adhiberet.

## §. II.

Et primum quidem immortale & summis laudibus extollendum est meritum Principis pietate & excellentissimis virtutibus conspicui, Henrici Ducis Saxoniæ. Hic enim est ille Princeps laudatissimus, qui quum ipse jam dudum veritatem doctrinæ Evangelicæ per Lutherum ex tenebris revocate agnovisset, & amplexus fuisset, etiam huic civitati, anxiè desiderantibus civibus, publicam ejus professionem impertivit & procuravit. Vita excesserat frater ejus, Georgius Dux Saxoniæ, d. 17. April. anni MDXXXIX, Princeps variis virtutibus celebris. Quanquam vero per totam vitam acerrimus Lutheri hostis & fervidissimus errorum Pontificiorum defensor esset: Non tamen satis celebrari potest gratia & providentia supremi Numinis, quæ in obitu hujus Principis manifestissimè se conspiciendam exhibuit. Ita enim animum Principis morti proximi tetigit flexitque divina gratia, ut horante Medico, Rothio, hanc verè Evangelicam proferret orationem: Seckend. Juva ergo me, fidissime Salvator, JESU CHriste, miserere mei & Hift. Luth. Salva me per passionem & mortem tuam acerbam, Amen! Profol. 212.

videntia autem singularis in eo eluxit, quod quum Georgius filii suis omnibus privatus terras suas fratri relinquere nollet, nisi fidem Romano-Catholicam profiteretur, & eum in finem legatos Fribergam mitteret, qui utrum frater consentiret, renunciare debebant; Henricus autem omnibus modis conditionem repudiasset; moribundus Dux prius vivis eriperetur, quam legati responsum Henrici explicare possent. Unde quanquam mors adversa parti valde esset acerba, adeo ut Dux quidam Romani Imperii præcipiti & blasphemо sermone prolato professus fuerit: Se malle DEum in cœlo, quam Georgium Ducem mortuum; gaudium tamen verbis exprimi non potest, quo cives Dresdenes translationem Urbis in potestate Henrici exceperunt. Maxima enim civium mediæ & inferioris fortis pars, iugi Pontificiū jam dudum pertesa, reliquis civitatibus felicitatem & libertatem spiritualem doctrina Evangelii donatam invidiebat, atque ardentissimis votis ortum lucis radios suos in Saxonia præclare spargentis exoptabat. Ita sane vim suam exerebant semina à Luthero concionem in templo aulico habente sparsa. Nempe sub initia anni MDXVI. Johannem Staupitium, ut sibi mitteret pium & doctum Oratorem sacrum, rogaverat Dux Georgius; miserat Staupitius Lutherum, eumque insigniter commendaverat: quumque ei Ducus nutu cathedra in templo Duciis arcis adjuncto aperiretur, praesente Duce & reliquis ad aulam pertinentibus, egregia de certitudine salutis ex fiducia in meritum Christi resultante, peroravit, & plurimum audientium numerum intime permovit, ita ut honesta matrona gynæceo præfecta, Barbara Salana, à Duce in prandio, quomodo illa placuisse concio, rogata responderit: Si alteram talem audire potuisset, se animo tranquilliore esse morituram. Ineunte Reformationis opere Monachi ordinis Augustiniani sententiam Lutheri primo tempore anno MDXXI. approbarunt, à Georgio tamen repressi fuerunt. Interim anno MDXXIV. hoc vocaverat Georgius Alexium Crof-

Seckend.l  
cit.

Fabric.Orig.  
Sax. L.VII.  
p. 859.  
Seckend.  
Hist. Luthe-  
ranism. I. I.  
§. VIII. Add.  
VII. f. 23.  
Weck. Be-  
schreibung

Croßnerum, qui in arce Evangelium prædicaret; quod in magnō ci-vium confixu factum est, sed paucis annis post, nempe anno fol. 307. von Dresdē  
 MDXXVII. rursus à Georgio dimissa esse traditur. Dum igitur an-tis sequentibus veritas clariss produceretur, cives hartum concionum Seckend. Hist. Luth.  
 habitarum memores ad Exangeliū recipiendum promptissimi erant. L.II. §. 34,  
 Nec inferiores solum sed & superioris ordinis homines, qui antea f. 92. 93.  
 præsidenti ac temerario animo terras se malle relinquere, quam Lu- Weck.P.IV.  
 theri doctrinam sequi, dixerant, maximam lætitiam testabantur, & Tit. I. f. 308  
 profitebantur, se jam diu tam fortunatam serio cupisse mutationem.  
 Certum est, plerosque Henricum Duceim, eo ipso die, quo Georgius  
 vita excesserat, sero vespere advenientem, Urbemque hæreditatis jure  
 occupantem lassis gestibus & gratulationibus excepisse, & postquam die  
 21. April. die Lunæ post Misericord. Dom. juramento fidei Senatus &  
 Cives se ipso obstrinxissent ad omne obsequium; factum est statim, ut  
 die xxiiii. April. qui Georgio sacer erat, in arce publice pratas Dux agi,  
 & primam concionem Evangelicam à Paulo Lindemann, vel Linde-naviensi, haberi juberet.

### §. III.

Et postea in hoc negotio omnia felici successu peragebantur. Nimis d. 28. April. qui dies excipiebat Dominicam Jubilate, indul-gentias, quæ haec tenus quotannis Festo Joh. Baptista, vi Bullæ Pontifi-cia celebrari consueverant, Henricus abrogabat, & in nundinas sapi-enti consilio mercaturas illas spirituales mutabat: Festo SS. Trinitati facio, quod tum in I. Junii incidebat, templum Crucianum idem Pau-lus Lindenavensis Evangelii doctrina primum consecravit, eique in prædicando verbo Dei comitem se adjunxit Eberhardus, Altenburgen-fis. Sine omni difficultate d. 3. Junii ritus vani Pontificiam supersti-tionem nutrientes, veluti circuitus corporis Christi, omnes Missæ, Vi-

A 3

giliæ,

giliæ, & id genus alia penitus sublata & ex urbe relegata fuerunt.  
 Weck.f.308 Interim Petrus Eisenbergius, qui hactenus Pastoris munere functus  
 erat, obstabat, quod minus res tam salutaris incrementa caperet: is enim  
 renuebat Communionem sub utraque admittere. Res igitur ipsa dif-  
 ferri debebat, donec Joh. Cellarius Francofurto advocatus in Eisenber-  
 gii sponte sua munere se abdicantis locum successisset, & d. 27. Junii,  
 qui erat dies Veneris post Festum Johannis Baptistæ, solenni ritu con-  
 fcratus esset. Interjecto brevi tempore, Ffesto Visitationis Mariae  
 celebrato, ipsa Dominica Vta post Trinit. d. 6. Julii, cultus publicus in  
 Templo Cruciano solenni ritu purgatus, & nitori suo debito redditus  
 fuit. Scilicet hoc ipso die, præsente Electore, JOH. FRIDERICO, &  
 Duce HENRICO, ac utriusque Conjugi, magna hominum frequentia,  
 primum Missa sancta Evangelico ritu, verbis institutionis Germanico  
 idiomate ab Ecclesiæ Ministro decantatis, & Eucharistia sub utraque  
 specie administrata, Choro Musico Introitum: Kyrie eleison, & pro-  
 fam de sancta Trinitate modulante, celebrari cœpit, quod dum fiebat,  
 cum summo gaudio & gratiarum actione cives maxima copia congregati  
 opus Dei venerabantur. Imprimis illud notandum est, quod de  
 generoso, pio & forti Duci Henricianimo certissimum perhibet testimo-  
 Seckend. H. nium. Paulo ante laudatissimum hunc templo Cruciano reddendi cul-  
 Luth.L. III, tum Evangelicum conatum, FERD'NANDO Rege Romano auctore, ad  
 S.71.add.3. HENRICUM mittebantur Sebastianus à Weitmühle & Christophorus à  
 fol.214. Mendorff, Consiliarii Bohemici, qui HENRICUM primum blandissimis  
 f.309. vocat verbis ab introducenda in occupatas Georgii terras religione Evangelici  
 Gendorff. ea dehortarentur, tum verò gravissimis minis adjectis, in primis Imper-  
 ratoris ira denunciata, deterrent. At verò islarum blanditiarum &  
 minarum nullâ habita ratione, verbi divini virtute & conscientiæ suæ  
 certissimâ convictione nixus Henricus, generoso animo consilium lau-  
 datissimum persequebatur, & imperterritus veritatem divinam publice  
 plebi

plebi proponendam curabat. Nec in eo substitutus ejus cura, sed etiam  
 mox die octavo Julii, Kiliani die, præviâ collatione cum Electore Jo.  
 Friderico ejusque Confiliariis, Visitationem Ecclesiarum & Scholarnm  
 in hac urbe & in omnibus locis ad suam ditionem pertinentibus de-  
 cernebat, eique negotio destinabat D. Iustum Jonam, Melchiorem à Seckend.  
 L. Cruce Præfectum Colditensem & Leisnicensem, M. Georgium Spaia-  
 tinum, Casparem à Schönberg, Reinsbergæ Dynastam, Rudolphum' à 220.  
 Rechenberg, quibus in progressu operis etiam alii additi fuerunt. II. Müll. Annal.  
 li negotii hujus saluberrimi faciebant initium in hac ipsa Sax. fol. 94.  
 civitate die Julii decima quinta; tandem vero sub finem anni die De- Weck. l.c.  
 cembri vigesimo cum Monachis Augustiniani Ordinis in antiquo fol. 309.  
 Dresdenium oppido gommorantibus, & postero die etiam cum illis,  
 qui in novo oppido sedes suas habebant, & regulam Francisci seque-  
 bantur, actum est, eo quidem eventu, ut omnes lubenter postulatis  
 annuerent, vestesque suas exuerent. Reditus autem ad sustentandos  
 viros rei sacræ & Scholasticæ inservientes destinati fuerunt. Est hoc  
 profectio tam illustre in Ecclesiam Dresensem meritum, quod à quo-  
 vis civi cum devota Numinis veneratione meretur expendi. Ita pietas  
 HENRICI Ducis Saxonie egregium devoti sui animi statuit monumen-  
 tum: sed & dignum pie tis suæ retulit præmium. Nam de hoc Prin-  
 cipe optimo literis tradidit Sebastianus Rotha Auerbachius, eō tempo-  
 re, quo bellum in Phrygia gereretur, militem quendam defixis & in Fabric. Sax.  
 tentis oculis HENRICUM cibos capientem adspexisse, & quum HENRI-  
 cus caufam, quid in se desideraret, percontaretur, divinatorem pri-  
 mum quidem tacuisse, sed posteā, severius urgente duce, prædixisse:  
 Tempus aliquando fore, ut HENRICUS solus universæ paternæ &  
 bæreditarie ditionis parte potiretur. Quanquam vero eo tempore  
 pius Princeps fratri suo GEORGIO longævam vitam appreca-  
 tus, vatem à talibus prædictionibus abstinere jussit: eventus tamen sapientissimo Nu-  
 mine.

mine ita dirigente, prædicta hæc re ipsa maximo civitatis hujus emolumento comprobavit. Eventus etiam hoc ipso respondet iis, quæ vir summis ad reformandam Ecclesiam dotibus præditus Lutherus, fiducia in DEum plenissimum dixit: *Se confidere, fore, ut licet Georgium habeat hostem sibi infenissimum, tamen ipse, in ipsa regione, quo Georgii nutui parebat, Evangelium letissima voce prædicet.*

## §. IV.

Felicem Urbe, quæ puriori coælestis veritatis doctrina redditæ, ab onerosissimo in conscientias dominatu liberata fuit. Felicem Ecclesiam, quæ remoto omni cultuum superstitionis squalore, nitidore forma prodidit. Felices Cives, quorum desideria & vota post diuturnam litim singulari divinæ providentiae beneficio plenissime fuerunt exsatisfacta. Quum vero non minor virtus esse soleat, quam querere parta tueri, ut in proverbio dicere consuevamus, gratissimo sane animo veneranda est summi Numinis bonitas, quod eorum, quæ Dresdenibus repurgata doctrina & pristinæ simplicitati restitutus cultus publicus attulit, excellentissimorum bonorum canulum sequentibus temporibus non conservaverit solum, sed majoribus etiam gratiæ speciminibus außerit, atque hac ratione signum veluti infinitæ suæ bonitatis hoc in illustri loco erigendum statuerit. Prædicanda vero submissis laudibus & posteriorum memoriae commendanda sunt Virorum in luce positorum & Numinis supremi independenter auctoritatene legislatoria in suo modo referentium saluberrima instituta, & ad Ecclesie, quæ in hac urbe Christo colligitur, ornamentum pertinentia opera & beneficia, quorum non exiguum enumerare licet partem. Optarem, ut insignia merita, quibus Magistratus hujus Urbis Amplissimus repurgatam Ecclesiam sibi reddidit devinotissimam, ample verborum apparatu &

sublimi dicendi genere possem ex primere, ut adeo rerum, de quibus dicendum, amplitudini & præstantiæ, orationis etiam responderet dignitas. Sed cum ipsa egregia corporis pulchritudo, oculorum vigor, faciei forma, elegans omnium membrorum proportio, puelam tenuibus etiam minusq; pretiosi indutam vestibus ornat; quum forte ac egregium vinum fragili vitro receptum nihil de suo prelio amittat, ego etiam confido, orationis meæ tenuitatem nihil impedituram, quo minus ipsorum meritorum & beneficiorum præstantia ubivis elucescat. In laudibus ergo Senatus Amplissimi emolumenterum hujus Civitatis curam sedulam gerentis, illud primum ponendum est, quod bona ex abrogatis magnis, qui ad celebrandas Missas, solemnitates annuas, aliasq; ceremonias, quarum magnum vana Pontificiorum devotione subinde auxit cumulum, recepto more observandas, Weck. l. c. fol. 312. destinati fuerint, sumptibus, Ministris Ecclesiæ, rei Scholasticae peritis aliisq; opum penuria laborantibus, sustentandis egregia fide adliberent.

### §. V.

Quum vero Ecclesiæ & Reipublicæ Seminaria sint Scholæ, quæ idoneis Magistris, & bono ordine ac disciplina instructæ, emolumenta nunquam satis prædicanda afferant, omnino inter beneficia in Ecclesiam collata referendum, quod Senatus statim post extensos Lyci Evangelicas radios, monente per Visitatores HENRICO Weck. l. c. Duce, Anno MDXXXIX, Schola recte constituendæ curam suscepit, imo etiam posthac Schola primariæ duas novas laudabilis instituto adjecerit, quarum altera ad pueros arte scribendi & Arithmetica imbuendo, altera ad puellas gibus lequiori sexui necessariis instruendas pertinuit. Nec in eo solum Senatus Nobilissimi cura subinde evigilavit, ut idonei Magistri Scholis singulis præficerentur: Verum etiam non adeò multis lustris post novum cura paterna editum ab Ipsi est specimen. Aedificium, quod Scholastico usui destitutum erat, ruinam videbatur minari; succurrerit opportuno tempore fin. Egenol. Senatus cura, ita ut nullis sumptibus parceretur. Nam quanquam si Programma nova Musarum sedes constituta ferè 2432. florenos, & quod ex mat. Scho-  
B errit, last. p. 110.

currit, absumperit, omnes tamen, quas rebus propriis magis, quam publicis, attenta mentes movere poterant, difficultates alacri studio vicit Macenatuni liberalitas, ita ut Anno MDL.VII. non solum ædificii hujus ex structio suscepta, sed & felicibus avibus absoluta fere fuerit, unde etiam die Mercurii, quæ Severi diem excipit, bonis literis dicatum domicilium piis precibus consecratum fuit. Stetit hæc literarum cultorum domus per medianam seculi partem usq; ad annum MDCXIX. quo denud Senatus cura eandem renovare & pristino suo nitoru externo restituere jussit, cuius rei memoriam Tabule lapidea foribus imposita recolit, quæ aureis literis hæc verba oculis exhibet;

*AD DEI GLORIAM ECCLESIAE  
Salutem & totius Urbis  
Usum.*

Hanc pietatis & literaruni Of-  
ficinam Amplissimus Reipubl.  
Dresdensis Senatus Anno Chri-  
sti MDL.VII. ædificari, sed  
Anno Christi MDCXIX. re-  
novari suis curavit sum-  
ptibus.

*Ad Juventutem:*

Huc propera, studiose puer, tibi discere Christum  
Sic prior, hinc artes, altera cura, bonas.

*§. VI.*

Sed ab æde Musis sacra jam ad ædes summi Numinis cultui dicatas redeundum est. Quum Templum à cruce Servatoris nomen gerens, populo, qui quotidie augebatur, recipiendo, præcipue in Eucharistia administratione, capax amplius non esset, Senatus ab Ele-

Electore gloriosissimo AUGUSTO, Anno MDLIX. precibus im-  
petravit, ut etiam in æde, quæ in honoreni B. Virginis olim ex-  
structa erat, conciones sacrae singulis diebus Solis haberentur, simulq; Weck. I. c.  
S. Cœna dispensaretur, cuius rei etiam initium mox die Domino fol. 248. A.  
Consecratâ cui nomen Judica impostum est, factum fuisse legitur.  
Vix duo elapsi fuerunt anni, quo novum extollendum erat Senatus  
providi beneficium. Haec tenus Super Intendentem quatuor tantum  
Diaconi, rei sacrae vacantes circumstabant. At Anno MDLXI. crea-  
tur novus, idque eo consilio, ut cultum sacrum in æde B. Virginis  
Evangelico ritu perageret; Nec silentio prorsus involvendi sunt  
sumptus in restaurationem turris, quæ non leve templo Cruciano  
conciliat decus, impensi. Turres ædium sacrarum nullius equidem  
multis, qui rem non satis maturo expendunt judicio, videri pote-  
rant momenti: Sed quis nescit campanarum, tintinnabulorum & Hier. Magi-  
horologiorum necessitatem? Quem fugit, magni utiq; referre hæc us Libr. de  
in eminentiori loco suspendi, tintinnumq; edere? Quem deniq; la- Cap. XVI.  
tet, maximum ex cura vigilum in turri fasiliis postorum in to- Tintinnab.  
tam civitatem redundare emolumenntum? Quia digitorum instar p. 82. sq.  
cœlestia demonstrare, & sursum corda, ut ferant, templa visitantes  
commonefacere quasi solent. Hildeberto sanè, Archi Episcopo Tu-  
romensi haud in celebritanto in pretio ornamenta ista templorum  
erant, ut manuum pedumq; vineula cum carceris injuriis, quam tur-  
riū jaēturaum, qualem Rex Rufus irā tum accensus minabatur, pati vid. Vitam  
maluerit. Elegantia turriū in agro Misnenſi conspicuarum structu Hildeb. ab  
ra mirificè capiebatur, Jacobus Tollus. Quid de ea, qua Crucianum Anton. Be-  
superbit templum, scribam? Hæc campanas haec tenus gestaverat, sed augendre,  
non amplius oneri ferendo par videbatur; Annuentे itaq; Sereniss. concinna-  
simō Electore AUGUSTO, qui Ipse duo imperialium millia ex æra tam operi-  
rio suo clementissime fuit clargitus, & procurante inclivo Senatu busq; ejus  
Anno MDLXXIX. de novo exstrui cœpta Anno MDLXXXII. in fa- A. 1708. edi-  
ficiū tantum surrexit: Postmodum Anno MDCLXIX. die 29. tis, præmis-  
Aprilis cœlo tacta & luctuosissimo incendio penitus ferè consumpta, sicut in Epist.  
JO. GEORGIO II. Saxonicas res moderante magis sumptibus fuit Itiner. III.

reparata. Taceo portam occidentein versus sitam, quæ prospiciens te Magistratu, anno MDCLXXVII, renovata vartisque modis ornata fuit. Taceo alias mutationes laudibus nunquam intermorituris dignas, quarum in numero habendum est, quod anno MDCCI, die 10. februario etiam die Jovis S. Coena in templo memorato administrari cœperit. Taceo Examen singulis Mercurii diebus, horis pomeridianis in usum confitentium ibidem institutum, quod die XVII. Sept. XXV. p. 73. Vir admodum Reverendus, Dominus M. Herman Joachimus Hahn, prima vice habuit.

## §. VII.

Weck. I. c. Ad ædem Sophiæ accedo : Hæc uti ante Reformationem non publico cultui, sed Monachorum saltem superstitione devotioni, ac virorum præclarorum sepultura inserviebat, ita etiam luce Evangelica fausto fidere Dresdæ anno MDXXXIX. exorta, per aliquod temporis spatium desolatum mansit. Sed Senatus Amplissimus Administratorem Electoratus, Ducem Altenburgensem, FRIDERICUM WILHELMUM, qui CHRISTIANO I. vita functo, rerum gubernacula tenuit, submisæ adiit, & ab Eodem die 22. Novembr. An. MDXCVII. impetravit, ut templum laudatum ipsi ad sepulturam hominum bene meritorum ibidem instituendam simulque stabulum equorum ædi proxima removendi, interiorem vero templi faciem ornandi atque cultui publico adaptandi concederetur. Paucis interjectis annis, curante Serenissimi Electoris, CHRISTIANI I. Vidua, pietatis amantissima, SOPHIA, Brandenburgica stirpe nata, hoc ipsum templum aulicorum usibus ad cultum divinum ibi celebrandum per aliquod temporis spatium fuit destinatum; inde contigit, ut anno MDCII. die Jo. Baptiste Sacro, hora matutina octava ad nonam usque à Polycarpo Lysero prima concio in hac æde habita, & cultus publicus in Aulicorum gratiam, eo quod in arce templum ordinarium esset restaurandum, ad tempus auctumnale ibidem continuatus fuerit. Anno MDCX, illustrissima Princeps egregium suæ munificentia in dicto templo statuit monumentum. Quemadmodum enim ipsa insigni veritatis divinæ amore semper flagravit; ita etiam impensisimum suum in rem sacram affectum

affectum luculentissimo specimine declaravit: tria enim florenorum  
 millia voluntate clementissima eum in finem erogabat, ut singulis  
 Luna diebus, horis matutinis, peculiari concione à Ministeris Ecclesiarum  
 civium saluti procuranda invigilantibus, prima Religionis elementa  
 Catechetica populo explicarentur. Eadem etiam constituit, ut die  
 Solis horis pomeridianis cultus precibus & hymnis celebraretur. At  
 anno sequente, MDCXI jubente Serenissimo Electore, CHRISTIA-  
 NO II. ipsis etiam diebus, Domini resuscitati memoriam renovantibus,  
 horis pomeridianis sacri ad populum perorari coeperunt sermones,  
 initium faciente M. Michaeli Niederlätero, aulici templi Antistite.  
 Nec occasio oblivioni tradenda, quæ instituto huic maxime pio an-  
 sam dedit. In magnum Serenissimus Elector Christianus II. Ejusdem Weck. I. c.  
 Frater conjunctissimus JO. GEORGIUS I. conjiciebantur vite pericu. f. 237. Mul-  
 lum. Dum enim uteque die 23. Junii MDCII. navi vectus, Pirna ler. Annal.  
 Dresdam tenderet, accidit, ut ex pulvere pyro ignem concipiente, non Sax. ad An-  
 folum ipse Elector laderetur, sed Frater Ejus, JO. GEORGIUS, navi no 1602.  
 ejiceretur in fluvium. Ait Principe laudatissimo, quem divina Provi-  
 dentia Ecclesie pariter, ac Lineæ Albertinæ servandæ destinaveratin-  
 defessa fidelis nautæ opera ultimo vita discrimi crepto, Elector in hu-  
 jus præstantissimi beneficio memoriam conciones ante commemo-  
 ratas institui jussit. Tandem vero, ne quid huic ædi deesset, anno  
 MDCXCII. mense Julio Senatus Amplissimus obtinuit, ut horis etiam  
 matutinæ cultus publicus singulis Solis aliisque festis diebus celebra-  
 retur, atque concionibus sacris populus erudiretur. Novus proinde  
 Diaconus constituitur, & plurimum Reverendo Ministerio hujus Ur-  
 bis qua membrum adjungitur, ita tamen, ut primum ipsi nihil cum  
 operibus, quæ vocamus, diaconalibus, esset commercii. Fuit is maxi-  
 me Reverendus Haufenius, quem postea templum B. Virginis recepit,  
 quiique ut diu floreat, omnes boni exoptant. Habuit autem ad al-  
 tiora enectus in hoc munere successores Georgium Henricum Gezzi-  
 um, Christianum Krumbholzum, & Christianum Ernestum Philippi,  
 quorum postremus inter Diaconos Crucianos primus locum obtinuit  
 & vices hebdomadales Antecessoribus denegatas primum exercuit.

B 3

Sed

Sed quum Vir iste admodum Reverendus de statione sua decessisset, Senatui Amplissimo visum est, ut Archi-Diacono, qui jam tum tertium in Reverendo Ministrorum Ecclesiae hujus urbis ordine tuebatur locum, munus in Templo Sophiae conciones sacras quibusvis diebus Dominicis & Festis ante meridie habendas committeret, quam provinciam ad hunc usq; diem indefessa cura atq; dexteritate maximè Reverendus Dominus Beckerus gessit, cui quippe Patrueli meo ac Praeceptorii olin in Afra neo ea, quā par est reverentia colendo, omnem bonorum cumulum ardentissimis votis appreccari jubet pietas.

## §. IX.

Hilscher in Jam pauca quoque de Templo Palæo Dresdensi dicenda sunt.  
 Nachr. zum Vel sola vetustate se nobis istud commendare videtur, siquidem ante  
 Andern Ju- Reformationem à tribus Regibus nuncupabatur: Anno demum  
 bel-Fest, MDXXXIX. Evangelicorum Usui cessit, & subinde Senatus Nobilissimi  
 p. 16, n. 13. mi cura fuit ornatum. Taceo Baptisterium, quod Anno MDLXV.  
 erigebatur. Taceo præclarum Organum Musicum, quod An. MDXVI.  
 Weck. 1. c. primum exstructum; postea autem Anno MDCVI. & MDCVII. re-  
 f. 274-276. stauratum; Anno MDCLI. denuo permutatum & auctum fuit. Ta-  
 ceo duas ex ligno quidem confectas superstructiones, excipiendis ho-  
 minibus aptas, quarum inferiorem Anno MDLXVIII. superiorem  
 Anno MDCCXVII. paratam esse legimus. Quis ignorat turrim, quæ  
 Anno MDCVIII. fulminis iictu percussa fuerat, anno sequenti for-  
 ma multo præstantiori in altum fuisse elevatam qua de re tabula lapi-  
 dea superius olim posita testimonium perhibebat:

Anno Christi MDCIX. XXIV.  
 Aug. sub illustrissimo Principe  
 ac Domino, Domino CHRI-  
 STIANI II. Duce Saxonie Ele-  
 ctore superius hujus turris æ-  
 dificium cum Deo feliciter in-  
 choatum, anno autem sequen-  
 te ad finem optatum per-  
 ductum

ductum est , è collectis  
sumptibus Ecclesiæ nostræ  
divina benedictione largitur  
communicatis.

Summa Deo laus sit, qui nos juvat, auget & ornat,  
Hic vigilans custos semper adesse velit.

Quum vero Cœmeterium, quod olim ipsum cingebat templum, va-  
riis incommodis esset expositum, consilium de novo sepeliendis defun-  
ctorum corporibus apto eligendo, fuit ineundum. Definatus igitur  
ad hunc finem fuit locus, in quo hodie adhuc corpora mortuorum terræ  
mandantur, & simul muro lapideo circumdatus Anno MDLXXVI.  
Sed quem admodum nihil in his terris tam pretiosum, tam sanctum,  
tam præstans, tamque utile est, quod non innueneri calamitatum casus  
nobis possint eripere; ita etiam hoc præclarum ædificium voracibus  
ignis flammis totum Anno MDCXXXV. absumptum dolebant miseri  
hujus oppidi incolæ, quorum & ipsæ domus immanem flamarum  
vix expertæ erant. Misericordia tamen non desuit Magistratus venerandi  
cura; hac enim factum, ut ex cineribus nova, quam nunc conspicimus,  
Phœnicis instar, exsurgeret structura, nitoris laude profecto non de-  
fraudanda. Nec vilpendendum esse hoc cura Nobilissimi Senatus spe-  
cimen, velipsi sumptus erogati, sex mille florenorum summam exce-  
dentes loquuntur. Quo minus vero turris haec tenus fuerit exstructa,  
non leves quæ opus hoc differri jubebant, fuerunt rationes.

### §. IX.

Sed nequaquam Urbis splendidissimæ mœnibus Amplissimi Sena-  
tus sese continuit provida cura. Extra portam enim ex spatiantibus stan-  
tum Templum ornatissimum ab Anna denominatum, occurrit. Hoc  
post repurgata Religionis tempora ex ipsis fundamentis Anno  
MDLXXVIII. indulgente glorioissimo Electore AUGUSTO susci-  
tatum fuit. Aedes nimis S. Bartholomæo olim sacra multitudinem  
hominum ex suburbis & sex pagis ad audiendum verbum Dei conflu-  
entium continere amplius haud poterant; accedebat angustia ceme-  
terii

terii tot defunctorum ossa minimè capientis. Tantum igitur apud  
**Weck.** l. c. clementissimum Principem valueunt civium verbi divini cupidissimo-  
fol. 269. rum preces submississimæ, imò ut verius dicam, tantum pondus illu-  
strissimæ Conjugis Annæ pro subditis intercedentis auctoritas habuit,  
ut amplum illud spatiū, quod olim Nicolaus Drossø, & deinceps  
Franciscus Naumannus possedit, ad pīm hunc ulūm clementissimè  
civibus concederetur. Concedebatur autem die octavo Martii, ejusq;  
rei notitia ad cives deserebatur die sequente. Nec sine omni factum,  
quod die Martii decimo fœmina prīmū in Cœmeterio sepulta ipsius  
Annæ nomen gereret. Indefusa diligentia opus extitendi templi  
continuatum, & hoc ipso anno eo usq; absolutum fuit, ut die vigesimo  
sesto Julii, in quem Dom. VI. post Trinit. tum incidebat, quiq; in fastis  
Annæ referebat nomen, præsente Serenissimo Electore, Ejusq; Conju-  
ge Illustrissima, ANNA, magnaq; Aulicorum corona, Daniele Grefero,  
Super Intendente verba ad populum faciente, summi Numinis cultui  
consecraretur, ejusq; præsidio præpotenti commendaretur. Nomen  
Annæ hæc domus sacra refert, non quasi superflitioso & idololatrico

**Hospin.** de ritu S. Annæ consecrata fuerit, qui Pontificiorum ab Ethniciis hæredi-  
**Orig.** Tem- plario jure acceptus error est, sed tum quod die Annæ, uti jam mo-  
plor. p. 106. nui, nomen in fastis gerente dedicata, tum maxime, quod illustrissi-  
mæ ANNÆ, que multum apud Conjugem Serenissimum AUGU-  
b.  
**Chladni** In- STUM valebat, auctoritate supplicibus suburbanis fuerit concessa,  
ventar. Templo Schola adjiciebatur, in qua Rector & Cantor usque ad hæc  
**Templor.** tempora indefessa opera in insituenda juventute tenera perfuncti  
cap. IV. pag. fuerunt. Agebatur annus MDCXIX. quum hoc templum, quod co-  
392. Iq.

pīz auditorum insufficiens esse incipiebat, insigni modo amplificare-  
tur, præterea etiam nova turri ornatius redderetur. Primis temporis  
bus unus Ecclesiæ Minister cultui sacro in hac æde peragendo suffi-  
cere videbatur, unde etiam Paulus Presclinerus ex Bartholomæi tem-  
plo hoc vocatus, solus prīmū hoc sacrū munus obiit. Et per longum  
sane temporis intervallum unius opera in re sacra administrastra  
us sunt auditores. Crescens multitudo liberalitate Amplissimi Senatus  
denuo indigebat. Itaq; anno MDCLXXX, mense Septembri Diacono-

nus

nus Pastori adjungitur, qui etiam primum ad concionem singulis diebus Solis in templo Joannis, germanico idiomate habendam obstringebatur, quo tamen obligationis vinculo sequenti anno fuit liberatus. Equis vero est nostrum patriarcharum rerum tam ignarus, ut quid annis superioribus laude & gratiarum actiones dignum gesserit Magistratus laudatissimus ignoret? Quis est, qui non inter præstantissima beneficia ab amplissimo Urbis hujus Senatu profecta referat, quod An. MDCCXII. & sequentibus idem templum, qua majorem partem, fuerit restauratum, amplificatum, pluribus auditoribus recipiendis accommodatum? Omnes qui in isto templo ad optimam quævis facienda excitantur, Magistrati omni bonorum & felicitatis genus merito appræcantur,

## §. X.

Haud minori pietatis affectu agnoscendum est, quod Templum Joannis à Senatu Nobilissimo, crescente incolarum numero fuerit extructum. Nimirum quum Anno MDLVI, publica Ecclesiæ & Scholarum conquesti sunt, se exuvias de mortuorum usque ad Cœmeterium Bartholomæi ante portam Wilsdorffensem comitando, nimum temporis aliis gravioribus negotiis impendendi perdere. Accedebat & ipsa Cœmeterii dicti angustia, quippe quæ tantam ossium in dies elatorum copiam ferre minimè poterat. In eo ergo elaborandum erat, ut utriq; incommodo occurreretur. Quam ob causam horti & domus nonnullæ privatorum publicis sumptibus emebantur, & Cœmterio ampliori pariter ac templo exstruendo destinabantur, quod spatium Anno MDXXXIII. ultius fuit extensum. Quum etiam Serenissimi Electoris nutu Anno MDCXLIX. illis, qui Bohemia propter Evangelicæ Religionis professionem expulsi huic confugerant, libertas cultum sacrum sermone Bo. Hilscher. hemo in dicto templo celebrandi concederetur, Senatus Nobilissimi Nachr. cum cura in id cooperata est, ut Ministro Ecclesiæ constituto de victu & II. Jubil. p. reliquis ad sustentationem pertinentibus prospiceretur. 18. §. 16.

## §. XI.

Sic Senatus Nobilissimi prævida cura Dresdensis Urbis pomceris nequitam sese continuat, sed longius etiam extensa fuit. Luculentum

hac

hac de re jam producemus specimen. Annus fluebat MDCCII, quum Loschwizensis agri cultores prolixis Senatum prudentissimum submissi interpellarent, precibus & qua ex desclu proprii templi patenterentur incommoda, exponerent. Inter alia autem infantum recens natorum Baptismum, periculosisimam ægrotorum ac agonizantium fortem, Ædem à B. Virgine denominatam nimis remotam, sepulturam ob Cœmeterii distantiam admodum difficilem, aliorumq; deniq; pagorum superioritate à Parochia Urbana separatarum exemplum allegabant. Variæ sub initium huic instituto objiciebanrur remoræ, sive ipsum Ministerorum Ecclesiæ hujus Urbis ordinem, sive Amplissimum Senatum respiceres, Vicit tandem precum æquitas & Patronorum Ecclesiæ munificentia. Hinc Deo dirigente, supremo Senatu Ecclesiastico consentiente effectum est, ut Anno MDCCV, die XXIX. Junii prima sacra ædis jacerentur fundamenta: quumq; ex calamitatibus illorum temporum, qua nulli nostrum non sunt notissima, lentiis hoc opus laudabiliter inceptum procederet, Anno tamen MDCCVIII, prorsus est perfectum: Qua propter etiam die tertio Augusti dedicatio hujus ædis solemní & Christiano ritu peragebatur. Albo omnino caleulo nota-dus est ille dies, eo quod nomen Potentissimi & clementissimi Regis nostri, cuius indulxit ista omnia patrabantur, referebat. Utq; perpetua hujus insignis beneficij extaret memoria Numimum in templi inauguratione excusum, qui duos Joachimicos pretio superabat, Senatus Amplissimus distribuit. Visne ut hunc Tibi nummum describam, & quid ei inscriptum fuerit, referam? Sane ea, qua in isto conspiciuntur, vel eo etiam nomine notanda sunt, quod doctrina & prudentia præstantissimus, quem ipse Senatus in sinu gestat, inscriptionem, quem vocant, compositum. Nimirum in altera parte conspicitur ædis sacra Loschwizensis effigies, his adjectis verbis;

Reddimus indulxæ sic TIBI pacis opus.

Groskurt fec;

In altera parte sequentia leguntur;

DEO

DEO  
nostro clementi  
pro  
vita & incolumentate  
*Sereniss. & Potentissimi Regis*  
**FRIDERICI AUGUSTI**  
*Principis Electoris Saxonis,*  
Servata item hifce temporibus  
Dresdenium Civitatem  
cum Ædis Losvitij XXIX. Jun.  
MDCCV. exstrui coepit  
die Augusti M. Ang. III.  
MDCCVIII.  
sacris initiaretur  
grates misericordie precibus  
aguntur.

Quemadmodum autem Nobilissimus Senatus nullis in hoc negotio devote celebrando sumptibus pepercit; ita etiam Regia Majestas eidem Jus Patronatus eo modo indulxit, quod illud in Templum B. Virginis jam pridem possedit. Ea, quæ sustentationi Pastoris sunt, ita sapienter distribuebantur, ut cœtus Losvicensis & Wachwicensis CXXIV. Florenos & XIV. grossos quotannis solverent, reliquam autem argenti summam, quæ ad complendum CC. florenorum numerum supererat, nobilissimus Senatus laudatissima liberalitate ac promptitudine aliunde impertiri decrevit. Praefuit hactenus sacro in hac æde muneri Vir admodum Reverendus, M. Jo. Arnold, cui ulterius vitam ac incolumentatem perennem apprecamur.

### §. XII.

Ordine nunc ita monente provehimur ad commemorandum novum idque non sphenendum aut negligendum in Ecclesiam meritum, quod quippe recentissimum in omnium adhuc hæret memoria. Jam Anno MDCLXXXV, egregio misericordia documento curam suam vigilantissimam patefecerat Senatus Venerandus. Empto enim Seiffi horto exstribuebatur domus Orphanorum nutriendorum capax. Existimat

mabat quippe haud postremam esse curæ Magistratus partem, ut parentibus orbatorum ratio habeatur. Quando enim parentes proprii in quo mortis fato abripiuntur, infantum debilium curam ad communes omnium civium parentes, qui Magistratus sunt, pertinere Juris Naturæ principiis edocemur. His rationibus motus Amplissimus Senatus consilium de miserorum Orphanorum vitâ sustentanda moribusq; rectè formandis cepit. Exstruendam proinde curavit domum, quæ orphans reciperet, omnibusq; necessariis requisitis ira structa esset. Non deest orphanis vietus, non deficit amictus, non desunt cubilia, non desunt, qui ipsos utilibus negotiis aptos reddant, non desunt magistri, qui ipsis, quomodo legere & scribere valeant, exponant: non desunt, qui pietatis & religionis elementa ipsis tradant, nec denique desunt, qui corpus nutrient, purgent, sustentent. Beatissima Serenissimi Electoris Jo. Georgii III. conjux, ANNA SOPHIA, cuius funus luctuosissimum omnis adhuc deplorat Saxonia, singulari munificentia A. MDCLXXXVII, non sernendum beneficium ad hoc opus felicius promovendum contulit, cuius exemplum alii sequuti sunt, qui gloriosum esse duxerunt, præclaras imitari Superiorum virtutes. Nec defuerunt anni, quibus plus quam ducentos & quinquaginta orphans nutritos fuisse demonstrari potest. Desiderabatur autem primis Annis Templum, in quo cultus publicus in gratiam tum orphanorum tum aliorum haberi posset. Quum enim sine supremi Numinis cultu ejusdemq; publica professione omnia reliqua progressu fausto destituantur, rectè omnino judicaverunt Viri religiosissimi teneros orphanorum animos in publico etiam cœtu ad salutarem Christi cognitionem esse perducendos. Quatum eunq; vero impedimenti se objecerit, prudentiâ tamen, vigilantiâ & industria Nobilissimi Senatus effectum est, ut oratorium peculiare sumptibus duo millia florenorum summam ex cedentibus d. 23. Jul. MDCCXI, coepit exstrui. Nec frustra illud ædificatum fuit; Nam non solum singulis diebus Solis concessionem à Theologis celeberrimis editam, prælegente orphanis morum moderatore Deo horis matutinis hactenus exhibitus honor, sed & pomeridianis peculiari studio Examina Catechetica à tribus Diaconis Ecclesiaz Crucianæ posterioribus

bus fuerunt instituta. Dicendum nunc etiam esset, de Scholis in Usum pauperum constitutis, quarum tres ante Portam, qua Pirnam iur, An. MDCCX. & XI. quarta autem & quinta ante portam Wilsdorffensem anno superiori, Senatu amplissimo procurante, fuerunt apertæ. Dicendum esset de domo, quam ad egenos & omni ope delictitos recipiendos & sustentandos idem benevolè exstruendam hoc ipso anno curavit: Hæc utiq; talia sunt, quæ fusiorem orationem, elegantius dicendi genus, magis eloquentem requirunt Oratorem: in me quidem tantam dicendi scribendive vim non sentio, ut hæc omnia pro dignitate enarrare, vel laudibus pro meritis extollere valeam.

## §. XIII.

Neminem profecto tam stupidum esse existimo, qui non insigne horum meritorum pretium, si mediocriter saltem attenderit, intelligat. Nihil Magistratu Christiano majus decus, ornamentum, solatum, imò presidium afferre potest, quam religionis sanioris cura. Hanc si in Republica vigere & florere jussierint, salva est etiam Imperantium auctoritas, tuta & ab omnibus insidiis libera præcipientium vita. Ipse Aristoteles, Gentilium Philosophorum haud postremus docuit, religio. L. VIII. Po- nem quidem præcipuum esse eorum, in quibus salus Reipublicæ con- lit, c. 8.  
sillit, atq; adeo imperantibus in primis debere esse commendatam. Immortalis omnino semper manet memoria gloriosissimi Principis JO. FRIDERICI Magnanimi, qui tantam Religionis purioris habuit curam, ut libertatem & dignitatem lubentissimè ejus causa perdidere, invictissimæq; constantiæ suæ exemplo quam plurimos ad veritatis ecclesiæ anorem excitaverit. Hujus, quum terris suis hereditariis esset restitutus, prima fuit cura, Ecclesiæ & Scholarum præcipuum habere rationem, nec Ipse solum in labore tam divino desudavit, sed etiam filios suos testamento condito paterne exhortatus est, ut rem Muller. An facram omni modo promoverent, eumq; in finem idoneos Ecclesiæ nal. Sax. ad Ministros & Scholarum moderatores constituerent, & sustentarent. Anno 1553. Secuti sunt paternam exhortationem posteri, nec tacere possum mu- fol. 121. nificantiam, quâ Festum seculare repurgata Ecclesiæ primum devote celebrans, pietatis suæ præclarum statuit monumentum Jo. Erne-

nus Junior, Dux Vinariensis, Heros pietate & prudentia nulli secundus. Hic enim suo fratribusq; nomine ad promovendum Ecclesiarum Scholarum, nec non pauperum commoda tribus florenorum milibus anno MDCXVII. destinatis, prolixum grati in Deum, purioris veritatis redditus auctorem, animi affectum declarare voluit.

## §. XIV.

Verum non alii tantum habent, de quo sibi, quod attinet rem sacram superiorum curæ ornatam gratulentur; domi si habitare velimus, egregia fane nobis se offerunt beneficia, quæ superiorum liberalitas in Ecclesiam Dresdensium derivavit, quorum memoriam meritò tempore hoc non sine jubilo transfigendo recolimus. Dum vero animo gratissimo recolimus, pietas exigit, ut supremo rerum moderatori immortales venerabundi habeamus agamusq; gratias; obsequium vero postulat, ut gratum & observantissimum animum erga Ecclesias Evangelicas Patronos, quantum à quolibet nostrum fieri potest, patefaciamus. Et hæc, ne quid dissimilem, prægnantissimæ tenuitatem meam compulerunt rationes, ut VOS, Viri Magnifici, Prae Nobilissimi, Amplissimi, Inlytae Urbis Dresdensis Consules, Syndicæ, reliqui Ordinis Senatorii Assessores gravissimi, prudentissimi, Patroni atatem de venerandi, submississima hac scriptione compellarem. Quæ sint Vestra in rem sacram studia, multis præclaris, majorum beatissimorum vestigia prementes speciminiibus docuistis. Hæc, sicut quoslibet bonos ad admirationem, ita pariter ad spem concitant, fore ut post tam largam messem à Vestri Ordinis prudentissimi cura, providentia, patrocinio, insigne sibi spicilegium promittere possit Dresdensis Ecclesia. Nostrum imo & meum est, his diebus inter alia pietatis, venerationis & religionis exercitia, conjunctis precibus & votis supremo Numini devotas agere grates, quod Vestrum animum Ecclesias bene cupientem ejusq; emolumenta promoventem excitaverit, excitatum confirmaverit, confirmatum nunquam non ad salutaria consilia direxerit. Nostrum, imo meum est, omnium bonorum Auctorem & supremum Rectorem, à cuius voluntate ac nutu omnium Magistrorum dependet auctoritas, ardenter implorare precibus, ut VO-

BIS

BIS tantam gloriam indefessis in Ecclesiam studiis partam immortalem conservet.

### §. XV.

Ludorum secularium quos Romanus Senatus magna celebritate centum elapsis annis instituit, originem ad P. Valerium Publicolam, Consulem fide digni referunt scriptores. Celebrabantur autem monimentibus Sibyllinis Carminibus, in honorem Ditis ac Proserpinæ & aliorum Deorum centesimo vel centesimodecimo anno per trium dierum noctiumq; spatium. Præco per universam Italiam totum ad ludorum celebritatem convocabat populum. Sacrī in Capitolio faciliendis à Quindecem Viris populo dividebantur piamina, quibus adhibebantur tædræ, sulphur & bitumen, adspargebatur aqua marina expiandi ad solem orientem convertebantur, lustrationes terq; qua- terq; repetebantur, addeabantur incantamenta, accendebantur festivis candelis & rogis lumina in Deorum Dēarumq; honorem. Offerebantur Diti & Proserpinæ, Parcis, Jovi, Junoni, Apollini, Geniis, Telluri aliq; Numinibus fictis sacrificia: parabantur venturis ad solennia Diis Deabusq; in Templis, vicis ac ædibus lectiſternia, circumvehebantur simulacra; deniq; ut alia præterea in Templo Apollinis Palatini ter noveni pueri prætextati, totidemq; puellæ, patrini omnes, matrinique, Græca Romanaq; voce carmina concinebant, quibus Imperium suum & incolunitatem Diis immortalibus commendabant. Absit ut in nostro seculari Feste celebrando superstitiosos gentilium mores ritusq; sequamur, quod de Philippo, Imperatore quidam me moria prodiderunt, licet de ejus Christianismo non omnes conveniant. Inter omnia tamen nifallor, superstitiones gentis commenta flor. sacerd laudandum erat hoc unicum, quod pro salute Reipublicæ Romanae, & te quæſion pro felici confiolorum, qua Rectores ejus inibant, successu vota & pre- Si l' Empereur Philip. acutissimus Horatius præbet, qui peculiari carmine seculari pro inco- pe a été lumitate patriæ, more gentilibus consueto vota fundit; Quando E. Chretien? gr. populo Romano incrementum, Senatui vero felicem decretorum P. I. Cap. 6. ad conjugia pertinentium successum apprecatur, his verbis utitur: & P. II. c. 10,

Diva

AKY 2990

1018

(24)

Horat.  
Carm. Se-  
cul. v. 17.

Diva producas sobolem, Patrumq;  
prospères decreta super jugandos fœ-  
minis, prolisq; novæ feraci lege  
marita.

Ego Deum ter optimum terq; maximum religiosa mente vene-  
ror, ut quemadmodum Vestrum Ordinem Evangelicæ Ecclesiae com-  
modis planè incumbentem per duo ferè jam secula suo complexus  
est præsidio; Sic etiam in posterum inclytæ huic Civitati salvum &  
incolument servet, imo perennem esse jubeat: Vestra, Patres Con-  
scripti, decreta salutaria in Civitatis incrementum, maximè verò in  
Ecclesiæ emolumentum atq; augmentum suscepimus prosperet, promo-  
veat, provehat; Ut opera sapientissimo consilio cœpta fortunato sem-  
per successu persequi & perficere possitis. Sic porro Vobis bene-  
gupiet Rex Augustissimus; Sic pro salute Vestro Deo continuis in-  
plorabit precibus Civitas, in d Religio. Sic Vobis integra & inteme-  
rata manebit laus & gloria, quæ Vestris Nominibus jure quodam ha-  
reditario ac immutabili hoc ipso anno tribuitur, quo Cives  
Dresdenses gratulabundi acclamant peregrinis;

*De sacris Virbis Dresdæ stat  
CVra Senatvs.*



n.c.

Y  
a  
2990

X 229 06 13

1.76, 51.  
SCHEDIASMA  
HISTORICO-LITERARIUM

quō  
Curam Amplissimi Senatus  
Dresdenis

circa

*Ecclesias & Scholas Urbis patronatus*

a  
Reformatione B. Lutheri usqve ad Jubilæum Ecclesiæ  
Evangelicæ alterum variis accessionibus auctas & ornatas  
deprædicat,  
Eaque occasione

Nobilissimo atque celeberrimo Reipublicæ  
Dresdenis Consuli

D O M I N O

**CHRISTOPHORO HENRICO  
VOGLERO**

Matrueli honoratisimo, Patrono ætatem  
colendo

**NATALEM LXVII.**

*ea, quapar est pietate & animi submissione*  
gratulatur

**Christianus Sigismundus Becher.**

---

ANNO M DCC XXIV.

	Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
	Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue																					
Cyan																					
Green																					
Yellow																					
Red																					
Magenta																					
White																					
3/Color																					
Black																					

B.I.G.